



Vitolphus multis artibus instructus apud Septentrionales populos in magna autoritate extitit, anno ducentesimo decimo quinto. Erat præterea rei bellicæ peritissimus, atque ideo Haldano regi Daniæ gratissimus. Accidit autem eo tempore, ut Ericus Suetiæ rex cum Haldano bellum gereret, atque per occasionem hostem fere in potestatē redigeret: sed fuit Vitolphus in arte Magica adeò peritus, ut uenientibus confestim omnem oculorum usum adimeret, ne Sueones propinquas ædes uisu aut uestigijs indagare possent. Cum etiam Haldanus grauiter in prælio fauciatus esset, Vitolphus certissimis Medicinæ artis experimentis eum ad præstinæ incolumitatis habitum perduxit. Itaq; Haldanus huius Vitolphi prudentia cōseruatus, & sanitati restitutus, postea suos hostes superauit, & magnum sibi nomen comparauit. Ioan.
Mag.lib.5. cap.20.